

Johannes Freder

Vota nata-||litia || In || Lavdem Pve-||ri lesv.||

Rostock: Lucius, 1575

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1762012235>

Druck Freier  Zugang





15 75
Lauts Bfere
~~1111~~

12, a-3 .

Im - 1248. ^{1. 8}_{2 =}

Im j. 1785. 1785



XXVI. 15.

VOTA NATALITIA
IN
LAUDEM PVERI
IESV.

Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensis



ROSTOCHII
EXCVDEBAT IACOBVS LVCIVS
ANNO M. D. LXXV.

Johann Blumen # M. Joannes Fredrichs;

PVERO IESV.

Nate Dei vero verum de lumine lumen,
Doctrinae praeses studiorum, maxime rector
Mentis, & ingenij fons, & sapientiae origo,
Eloquij princeps, dux artis, regula morum,
Optime seruator vitae, dator alme bonorum,
Summa tibi sit laus, & honos, tibi gloria summa,
Quod vetus elabens exit feliciter annus,
Quo concessisti bona praestantissima nobis:
Illustrem verbi lucem, qua sidera adimus;
Ingenuas, regitur quibus orbis maximus, artes,
Iustitiam, pacem, victum, solesq; serenos,
Robur, vitam, animas & plurima commoda vitae,
Da nouus auspicijs veniat felicibus annus,
Transseat & felix, & felix exeat idem.
Affere doctrinam studiorum, suffice vires,
Eloquijsq; tuis nos instrue, nosq; gubernas,
Vitae seruator sis nobis regula vitae.
Et quia de caelis ideo demitteris alius,
Filius unigenus nobis natusq; datusq;
Cognati massam generis seruasq; fouesq;
Vt caetus habeas ex illo, aeterna beate
Saecula qui vitae viuant: quibus munera dones
Iustitiae, qui te norint semperq; celebrent:
In nobis habita, lux splendeat aurea vera
De te doctrinae: vigeant feliciter ora
Hospitium praebent tibi quae Musisq; benignum,
Vt tua laus nomenq; tuum tua gloria crescat,
Tuta sit ara, scholae niteant, respublica plaudat,
Alma Ceres, aër almus, pax alma triumphant.




PRÆSTANTI DIGNITATE, NOBILITATE GENERIS, VIRTUTE ET HUMANITATE

Domino IOHANNI BEHR, Pomerano, in Hugelndorff Domino, venientem annum felicem tranquillum & salutarem à puero Iesu nobis nato & dato præcatur

IOHANNES FREDERVS.

Nobile nobilium decus & laus
ampla virorum,
Qui superas morum nobilitate genus,
Carminibus celebrare Dei benefacta supremi,
Optima Musarum primâq; cura fuit:
Altera, prælustri virtutem laude vehentum
Nobile nobilium per decus ire virum.
Qualiacunq; canens sic nato carmina Christo,
Laude vebo laudes & benefacta Dei.
Et sino iam fieri Musarum publica iussu
Nobilis in laudem nominis illa tui

Tu de-



Tu decus es patriæ: nec te modò nobile stemma,
Sed virtus celebrem nobilitate facit.
Eloquium linguam, præstans sapientia pectus
Armat magna cum gravitate tuum.
Nota tua est toti patriæ bonitasq; fidesq;
Et Musis bonitas nota fidesq; tua est.
Hinc tibi Musarum communi voce dicata
Hæc patière etiam vota placere tibi.
Nobile nobilium decus & laus ampla virorum est,
Munera quando sibi sacra placere sinunt.
Tempus erit quando certatim carmina vates
In laudes facient non moritura tuas.
Interea nostræ tibi significatio mentis
Grata sit, & felix incolumisq; vale.
Vince, precor, Pylia Neleia fata senectæ
Nobilis ô patriæ gloria lausq; tuæ.

IN

IN LAVDEM
PVERI
IESV

VOTA NATALITIA
IOHANNIS FREDERI.

NATALIS CHRISTI.

ELEGIA I.



*PR*incipium nostræ Lux que fuit orta
salutis
Anni Principium conuenienter init.
Fortunata dies mirandi conscia partus
Salue: quantus iò splendor honosq; tuus?

*Te pia vota, pij plausus; pia carmina laudant,
Te pia solemnem pectora iure colunt:
In medijs duce te lux emicat orta tenebris,
Atq; vigor Vita, Iustitiæq; inbar.*

A

Isacidum

Ifacidum sydus radios illustre micantes
Exerit irradians totius orbis iter.
Israëlitici maiestas Regia sceptri.
Fulget & æternas reddit & auget opes.
Dulce caput radix effert Iesseia, cuncto
Corporis ac animæ certa medela malo.
Abramide prodit flos flore nitentior omni
Filius in cælo summus & imus humo:
Vt Paradise tuos nobis instauret honores,
Instaurans nostræ grande salutis opus.
Immortale decus mortales induit artus,
Ne mors mortales amplius atra necet.
Hic est ille *SILOH* qui puræ virginis aluo
Editur, est verus qui genitore *DEVS*.
Hic est ille Gygas & felicissimus Heros,
Turgida qui colubri sub pede colla terit.
Hoc benedicende benedicto Semine gentes
(Quo sine nulla fuit gens benedicta) sumus.
Hoc nascente fuit nobis decus omne renatum,
Quin Natura simul tota renata fuit.
Salve iterum memorande dies Natalis Iesu,
Alter natalis totius orbis aue.
Annua dona tibi dabo dum mihi vita manebit:
Anni principium tu mihi semper eris.

ELEGIA

ELEGIA II.

Hoptate puer, sacer infans, optime IESU
Summa tibi laus sit gloria summa tibi,
Quòd nostra de carne caro de sanguine sanguis
Nasceris, & natos nos facis esse, DEI.

Nasceris in terris summo demissus Olympo:

Natos ex terra nos ut in astra vebas,

Nasceris hospitij cultu sine diuite pauper:

Sit nobis cælum dives ut hospitium.

Nasceris abiecta vilis sub imagine seruis;

Nos Domini in regni sumus ut arce tui.

Nasceris exilij patiens: tua Patria nobis

Amissa in nostro reddat ut exilio.

Te veniente venit Libertas, ira Tonantis

Cedit, mors moritur, Lex silet, Orcus obit.

Gratia certa Patris duce te Spes certa salutis,

Quæ maledicta fuit nunc benedicta caro est.

Aurea PAX terris, excelso GLORIA coelo,

LÆTITIA est homini munere parta tuo.

Es datus & natus nobis: nos munera mille,

Mille voluptates, gaudia mille manent.

Nos prope, nos circum, circa nos inter & intra


Es Deus, & verè verus es IMMANUEL.

Vera DEI facies vero de lumine lumen,

Isacide verum germen & Isacide.

Lumine te lucet, te Germine germinat Orbis,
Nostra videt vitæ te sine Vita nihil.
Nos rea turba sumus: tu crimine purus ab omni,
Ut sis nostra salus virgine natus homo
Nos tibi, te nobis mirando fœdere iungis,
Patre DEO omnipotens omnipotente DEVS.
Admirande DEI Fili, dulcissime IESV,
Summa tibi laus sit gloria summa tibi.


ELEGIA III.

 PTIme Iustitiæ Princeps, Dux optime vitæ,
Rex Pacis, noster splendor & omne decus:
Quæ tibi pro meritis gratissima dona feremus?
Aurum, thus, myrrham? sunt ea grata tibi?
Sunt tibi grata, tibi ceu grata fuere Magorum
Talia dona, sui maxima dona soli.
Non bouis exta, iuuant, non hirci viscera, Numen:
Aurum REX, Myrrham vis HOMO, Thura DEVS.
Pura FIDES, VIRtus, PATiens, ORatio flagrans
Gratum sunt aurum myrrhaq; thusq; tibi.
Sed tibi non sine te dare talia munera nostræ
Est opis, omne tibi quod damus, omne tuum est.
Aurea Stella Magos ad te Dux præuia duxit:
V O X tua sit nostræ Dux veneranda viæ.

Purior

Purior est auro veræ doctrina salutis:
 Si pia sit puro pectore pura Fides.
 Da Puer Alme Fidem puro quæ purior auro
 Fulgeat officijs conspicienda pijs.
 Vnanimus simus ceu corporis vnius artus,
 Inq̄ vno sit mens omnibus vna DEO.
 Ceu pariter nati patris sumus vnius omnes,
 Et fratres iuncti sanguine Christe tibi.
 Ac quia certa comes fidei Crux dura propinqua est,
 Nobile vincendi suffice CHRISTE genus.
 Aduersam vincant Labor & Patientia sortem,
 Vincis vt aduersas ipse ferendo vices.
 Myrrha sit vt dulci per te condita salute,
 Ne sit onus, sed bonos quod bene fertur onus.
 Ancora sacra, preces nobis sint vota q̄ sacra:
 Hæc pia mens libet thura sacrata tibi.
 Soluat & assiduè tibi grato carmine grates
 Pro summis, præstas quæ sine fine, bonis.
 Grata tibi faciens vite q̄ salubria, vite
 Nos decoret nouitas: ceu nouus annus adest.

ELEGIA IIII.


 V Mine Parës, æterne Deus, Sator alme, creasti
 Consilio nostrum qui sapiente genus:
 Vt prælustre tui viua sub imagine semper
 Exemplum faciem viueret ante tuam:

A 3


Te

Te celebrare satis nemo, tua dicere nemo
 Facta potest, mentis vel monumenta tuæ.
 Admiranda tua est toti sapientia mundo,
 Optima mens, bonitas maxima, summus amor.
 Omnia sed superat cunctis mirabile seclis,
 Hoc opus in Nato quod facis ipse tuo.
 Omne decus postquam stultis amisimus ausis,
 Nostraq; vita nihil mors nisi certa fuit:
 Vnica progenies tua, maiestatis & æui
 Consors, sine carens principioq; Deus,
 Mittitur è cælis, mortali Virginis alio
 Fit caro Iusticiæ victima iusta tuæ.
 Aeternam nobis instauratura salutem,
 Et bona quæ vetitis interiëre cibus.
 Quæ bona certatim iam cunctos cuncta sequuntur,
 Est mors nostra quidem iam nisi vita nihil.
 O modus ò ratio redimendæ maxima vitæ,
 Num miranda magis? num celebrandâ magis?
 Quis satis inspiciat? quis dignè laudet amorem,
 Quo nos complexus semper es alme DEVS?
 Tu nostros accende animos, accende rigentes
 Linguas in nobis hoc operatus opus:
 Tanta sabutiferi meditantès gaudia partus
 Vt grati simus req; fideq; tibi.
 Teq; Patrem, Natumq; tuum, Flatumq; duorum
 Nouerimus, soli sacra corona tibi:

Que

*Quæ prælustre tui viua sub imagine semper
Exemplum faciem fulgeat ante tuam.*


ELEGIA V.

 *Æterna Dei soboles è Virginis aluo
Egrediens, nostro sanguine nostra caro,
Vnde fit excelsam quòd cæli deseris arcem
Subiectamq; subis vndiq; spretus humum?
Nostræ fata subis culpæ? ne plurima culpæ
Nos mala cum sera posteritate necent?
Sic est: Tanta satis quis digno carmine facta
Condere, quæ verè sunt benefacta, queat?
Ad propriæ mentis nostros simulacra Parentes
Condidit ornatos integritate Pater
Nobile virtutis speculum exemplumq; refulgens,
Æternum Vitæ Iusticiæq; decus.
At circumuentum versuti fraude colubri
Hoc decus è tantis excidit omne bonis.
Vtq; prius natos & qui nascuntur ab illis,
Debuit omne decus tempus in omne sequi.
Seria fregisset Genitor nisi iussa Tonantis
Qui iustus iustè quod facit omne facit:
Sic quoq; iam natos & qui nascuntur ab illis
Deseruit, summum quod fuit, omne decus.*

Omne

Omne malum mali morsu demanat ab vno:
 Hinc fera Mors regnat, Styx tumet, Orcus ouat.
 Vndiq; Peccatum falsissima gaudia sumit,
 Fulminat edictis Lex metuenda suis.
 Et DEVS ardentis irarum pectore flammam
 Concipit, est hostis qui fuit ante Pater.
 Quae mala quas clades nisi tu Deus vnice, Fili
 Summi summe Patris, tollere nemo potest.
 Ergo venis, nostro nostram tibi sanguine carnem
 Vnis, instaurans quod fuit ante decus.
 Iam mors victa iacet, Peccatum triste gemiscit,
 Lex silet, Infernus mutit, Olympus ouat.
 Ira Dei sublata, Dei clementia parta,
 Iam Pater est mitis qui grauis hostis erat.
 Gratia lausq; tibi sit iò Rex maxime IESV,
 Qui quod habes nomen, iure, salutis, habes.

ELEGIA VI.


 NFluis illesam qui purae Virginis aluum
 Spiritus omnipotens ò venerande vigor
 Irradiata fouens mirando viscera motu,
 Innuba Diuinum mater vt edat onus.
 Omnia viuificans vigor ò vigor omnia complens,
 Quo sine nemo viget, quo sine nemo videt.

Nemo

Nemo videt, nemo credit, miracula nemo,
 Applicat illa sibi ceu bona summa sibi.
Imple sydereo nostras spiramine mentes,
 Ignibus irradiat pectora nostra tuis.
Tale tuum, quo non magis admirabile mundo
 Contigit, in nostro corde triumphet opus.,
Virginis ut partum dubitatio nulla prophanet,
 Non ratio fiat qua ratione roget.
Numine facta tuo videamus & omnia verè
 Scripta recordemur numine scripta tuo.
Sicut enim falli nescis ita fallere nescis,
 Sanctus es & verè pectora sancta facis.
Erigenos humiles ab humo, succende medullas
 Luce tua, superas mens petat alta domos.
Altius ut possit rem tantam læta tueri,
 Et causas operis donaq; scire tui.
Et nihil utilius nihil illis ducere maius,
 Cum nihil utilius maius & esse queat.
Linquamus curas & opes & gaudia mundi,
 Cum titulis valeat gloria vana suis.
Cura sit usq; tuum duce te cognoscere numen,
 Ingenitumq; Deum, bis genitumq; Deum.
Æthereas sectemur opes quas nulla vetustas,
 Tollere non hostis fata nec ipsa queant
Nostræ sint ut opes eterne regna salutis,
 In quibus est vitæ Iustitiæq; vigor.

B

Gaudia

Gaudia nostra: quies animi, mens conscia recti,
Gratia cælestis, spes bona, certa fides.
Gloria nostra: Dei proles quòd cara Parentis
Prolis (iò) fratres unigenæq; sumus,
Cura sit hæc, & opes hæc sint & gaudia nobis,
Gaudeat hæc titulis Gloria vera suis.

ELEGIA VII.



Æta tui rursus Natalis tempora fulgent,
O Diuine puer, quæ tibi dona dabo?
Præco tuæ bonitatis ero: Tu suffice vires,
Te sine, te rectè dicere nemo potest.
Tu mare tu cælos et terras numine complex
Effigies summi splendor amorq; patris.
Tu bonus à prima surgentis origine mundi
Effigies mentis nos facis esse tuæ.
Sed mala mens mala fraus diri liuorq; colubri
Effigies mentis nos dolet esse tuæ.
Et menti offundens tenebras, vitia omnia cordi
Effigies mentis nos facit esse suæ.
Ergo rei mortis diuinæ semper & iræ
Tartareo fuimus massa cremenda rogo.
Tu verò nostri ceu frater CHRISTE misertus
Alloqueris iustum supplice voce DEVM.

Mi

Mi pater iratos ò mi pater exue vultus,
Cur vis effigiem sic peruisse tuam?
Quis canet eximia nobis præconia laudis?
Siccine nulla tuæ spes bonitatis erit?
Verus es, & verè iustus, vereq; benignus,
Iustitiam Bonitas mitiget alma tuam.
Parce benigne reis Pater, ò Pater optime parce,
Me facias omnis criminis esse reum.
Immortalis ego mortalia viscera sumam,
Mortales, mortem, quam meruère, feram.
Immortalis ego Mortis fera spicula frangam,
Vincar ego, & vincam, Mors ego mortis ero.
Omnia restituam vindex, reparabo salutem,
Omnibus exoriar Sol ego Iustitiæ.
Tuq; Potestatesq; tuæ, tua facta canentur,
Semper erit nomen, laus tua semper erit.
Audit vt has Genitor voces & vota, stupendum
IVSTITIÆ nexum cum BONITATE facit
Nec mora, venturus mundo promittitur Heros,
Heros qui Stygij conterat ora Ducis:
Pro nece qui vitam reddat pro clade salutem,
Gaudia pro lachrymis, pro Phlegetonte Polos.
Talia nunc rursus quia nobis dona parasti,
O Diuine puer gratia summa tibi.
Teq; potestatesq; tuas tua facta canemus.
Semper erit nomen laus tua semper erit.

B 2

ELE.

ELEGIA VIII.



IRgineo veniens de ventre salutifer
HEROS

Iam solenne vehit rursus ab axe iubar:
Quod renouare iubet suauissima gaudia
cunctos,

Qui sanctum Christi nomine nomen habent.

Quisquis ades mecum miracula summa reuolue,

Quorum nos memores hæc iubet esse dies.

Maximus ingentis nature conditer ortum

Ducit, & est nostre debile carnis opus.

Quid loquor? ò cunctis loquor admirabile sectis:

Non opus hæc mundi machina maius habet.

Est quod erat, nec erat quod nunc est, nunc sed vtrunq; est,

Antè Deus nec homo, nunc Deus est & homo.

Non capit hoc ratio nec vult, sed pectora credunt

Fida, quia est fidei non rationis opus.

Est anime pulcher nostre cum corpore nexus:

An (mibi dic) illum limina nostra vident?

Non est solus homo vitæ Instaurator adeptæ,

Nec Deus est solus, sed Deus est & homo.

Solus homo nescit diram deuincere mortem,

Nescit ferre DEVS tristia iura necis.

Omnipotentis opus diram deuincere mortem,

Ferre sed est hominis tristia iura necis

Verus

Verus HOMO verusq; DEVS (mirabile dictu)
CHRISTVS dat Vitæ Iustitiæq; decus.
Vt (si parua licet summis componere) ferrum
Igne rubens, ignis ligna penetrat ope.
Ab miser & si quis nimum mysteria scrutans
Que non conueniunt cum Ratione negat.
Non audita fuit, non visa puerpera Virgo:
Hæc mater salua est Virgo pudicitia.
Credere difficile est sed oportet credere, credit
Vera Fides, veri quod Deus autor ait.
Omnia vana obeunt, verè est oratio vera,
Quam vero verax edidit ore DEVS.
Verius ore DEI nihil est, fieri omnia possunt,
Quæ DEVS in verbo vult statuitq; suo.
CHRISTE Patris Verbum viuo nos erige verbo
Corrige nos verbo præcipitesq; rege.
Tu sacer Interpres Verbi, tu munia Verbi
Seruas, tu verbo pectora viuua facis.
Mitia tu verbo depingis corda Parentis,
Quem sine te patrem nemo vocare potest.
Intima corda vides patris, intima corda rogantum,
Pro quibus ipse Patri vota benigna facis.
Fraternis frater fratres amplecteris vlnis,
Quos ortu fratres efficis ipse tuo.
O tibi fraterno deuinctos fœdere serua,
Et nobis certam suffice CHRISTE fidem.

B 2

ELE

ELEGIA IX.



CHRISTE puer, pueri vocem qui mi-
tior audis,

Audi natali carmina scripta tuo.

Tu sine principio vero de lumine lucens,
Principio rerum Numine Numen eras.

Illud eras Verbum, Genitor quo cuncta creabat.

Quæ mare quæ tellus summus & Axis habet.

Omnia diues alis clementer & omnia seruas,

Te sine nil vitæ te sine nulla salus.

Tu misera supplex primorum in clade parentum,

Factus es irato victima danda DEO.

Omnia fecisti per sacros edita vates,

Omnia qui nostri motus amore facis.

Tu noua progenies cælo demissus ab alto

Nos ad olympiacas euebis vsq; domos.

Es sine labe satus sine crimine virgine pura,

Vt tollas ortu crimina nostra tuo.

Eg; polo in terram venisti pauper, aperti

Vt nos plena poli Regia ditet opum.

Exules, exulibus nobis vt maximus æther

Æternos pateat patria summa dies.

Seruus es, vt Dominos facias nos esse potentes,

Nunc è seruitio cui libet ire licet.

Legis ad imperium saxo præcisus acuto

Nostra tener fuso sanguine fata subis:

Legis



Legis vt imperio nostro quoq; nomine parens,
A nobis posses tollere legis onus,
Omnia pro nostro patienter crimine perfers,
Oblatus iusto victima iusta DEO:
Vt caput, horrendi tumidumq; potensq; colubri
Diminuas, mortem morte tuaq; neces.
Restituens nobis eterne gaudia vite,
Gaudia caelorum, gaudia Iustitiae.
O amor, o bonitas, quam nulla reuoluere corda,
Ora satis dignè dicere nulla queunt.
Mille licet linguae socientur, cordaq; mille.
Hanc satis Angelici non stupet ordo chori.
Attamen vt gratos decet vt nos possumus illam
Nos admirari nos celebrare decet.
Exultemus, & vnanimes laetemur, & alta
Cantemus nostro carmina voce DEO.
Sit tibi laus sit honos & gloria maxime IESV,
Quo nascente salus nostra renata fuit.
Ira Dei cessit, tristis damnatio cessit,
Aurea Libertas aurea Paxq; viget.
Turigidae factus Legi nisi subditus esses,
Nos omnes rigidae traderet illa neci.
A te nostra quies & spes certissima solo,
A te noster honos, pendet & omne decus.

E L E

ELEGIA X.



Spiciens hominum cladē supremus olympi
 Rector, vbi serpens ò ede dixit Ade:
 Vnigene dixit soboli, num morte peribūt
 Omnes? & nullus qui mihi viuat, erit?
 Non ita: restituam vitæ cælisq; dicabo,
 Inuidia & Satanae qui cecidère dolis.
 Cum tibi mi fili summo inflammatus amore,
 Tota per vsq; adeo pectora sanguis eat.
 Nec tibi sit requies lapsis nisi ferre salutem,
 Iustitiæq; decus restituisse queas.
 Intulit ergo necem quia cunctis fœmina terris,
 Fœmineum è casta virgine semen eris.
 Sub pedibusq; teres serpentis colla, vicissim
 Ille suas vires experietur atrox.
 Tu verò patiens superabis cuncta, salutis
 Amissæ vindex Iustitiæq; dator.
 Quæ meruère alij, tolerabis morte triumphans
 Victor eris, nostris hostibus hostis eris.
 Pro bello pacem reddes pro carcere regnum,
 Optatamq; feres omnibus vnus opem.
 Hæc diuina fuit promissio grata parenti,
 Primo, quo fuerat tristius antè nihil.
 Huic quoq; Thariades patriarcharumq; corona,
 Credidit, hinc venit non aliunde salus.

Doctri-

Doctrinae ratio est eadem caelestis, & omni
Tempore durat idem verbum eademq̄ salus.
Spem positam in Christo patres habuere futuro,
Nos velut in Christo fidimus exhibito.
Sub flagrante rubo saluoq̄ manente videndum
Se Moysi offerret cum satus ipse Deo.
Quis foret atq̄ suos à quali duceret ortus
Querenti tales reddidit ore sonos.
SVM qui SVM patris aeterni sum natus, eroq̄,
Sum sine principio sum sine fine Deus.
Appellor IEHOVA modò, mortale sed olim
Ex casta veniens virgine semen ero.
Semen ero diri quod conteret ora Draconis,
A saluando mihi nomen Iesus erit.
Meq̄ simul gentes ISCH et IEHOVA vocabunt
Vnumq̄, ex gemino nomine nomen erit.
Sic Moysi nomenq̄ suum numenq̄ reclusit,
Et natalis opus Filius ipse Dei.
Ostendens geminas ardentis imagine dumi
Naturae formas mira q̄ vincla suae.
Purpureum posuit liquidis in nubibus arcum,
Quo firmata Noe spesq̄, fidesq̄, fuit.
Angelici specie iuuenis commixtus adhæsit
Isacide luctans, grataq̄, lucta fuit.
Huic quoq̄ sublimem monstrauit ad æthera scalā,
In qua turba suum flammea fecit iter.

C

In

In Christo natura hominis qua aliquando futura,
Et natura Dei significata fuit.
Plurima quin etiam venturi virgine Christi,
Cernimus Abramide signa fuisse seni.
Adde quod alati iuuenes quoque mutuo in Arca
Federis intuitu mutua vincla notant.
Conueniunt etenim mirando fœdere stirpes,
In Christo geminae, cunctaque secla manent:
Sic quoque conueniunt antiqua volumina legis,
Et noua Iustitiæ pacta fidesque noua.
Patribus vna salus à Christo vt contigit vno,
Nobis à Christo sic venit vna salus.
O nos felices ò terque quaterque beatos,
Hoc tantum grati qui meditamur opus.

ELEGIA XI.

FXierant anni ferme ter mille duoque
Et sexaginta, lapsaque secla nouem,
Cum memor ipse sui memor humanæque ruinae,
Vellet pollicitis addere facta Deus.
Ergo ait: insignis facie & fulgentibus alis
Insignis niuea veste minister ades.
Est regio celebris qua se Phœnicia tollit,
Et latè magni Iordanis vnda fluit.
Hic mihi progenies est regia, regia virgo,
Quæ gerit in casto regna pudica sinu.

Pau.

Paupere quæ tecto degit, seniumq; mariti,
Omnibus officijs & pietate colit.
Hanc ego delegi cunctis è millibus vnam,
Quæ genitrix nati gaudeat esse mei.
Ergo age carpe viam celer & mea dicta fidelis
Ipsi aperi, quàm sit cara futura mihi
Virgo concipiet, virgo sine coniugis usu
Filiolum pariet, qui sine fine DEVS.
Nomen ab officio dabit ipsi nobile IESV,
Nanq; redemptor erit duxq; salutis erit.
Sic Deus: ille uiam carpens mandata capeßit,
Quæq; facit, veluti iussa fuere facit.
Omnia fiebant sacro quæ dixerat ore
(Ludere promissis nam nequit) ipse Deus.
Omnia fiebant primo promissa parenti,
Omnibus vnde salus ortaq; vita fuit.
Fiebat genitrix Virgo castissima: cuius
Filius vnigenus filius ipse Dei.
Qui benedicende fuerant quo Semine gentes;
Vllius absq; maris semine, semen erat.
Luce sub octaua præciso, nomen IESVS,
Angelus è cælo quod dabat antè, datur.
Et merito, quoniam dulces mortalibus ægris
Iustitiæq; refert atq; salutis opes.
Gratia summa tibi, tibi laus Deus optime summa,
Seruas constanti qui tua pacta fide.

EYXH

EYXH IN AVSPICIO
NOVI ANNI.



*Meritibus felix exiuit cursibus Annus,
Iamq̄ nouus properis motibus annus adest.
Auspicio felix annus duce & auspice Christo,
Natalis cuius lux celebranda nitet.*

*Sumere nunc hilari dulcissima gaudia mente
Complectiq̄ preces & dare vota decet.
Anno cum veteri veteres deponere mores,
Cumq̄ nouo vera corda nouare fide.
Atq̄ Deo grates pro summis soluere donis,
Anno quæ veteri spe meliora dedit.
Hic quòd habet Christi dulces Ecclesia nidos,
Halcyone in medio marmore sicut habet.
Quòd sacra distribuunt hic mentis dona inuenta
Pierio suaves ex Helicone Dee.
Publica quòd tanto non hæc malè concidit ictu
Res erecta Ducum sed bonitate viget.
Aurea quòd nobis redierunt tempora Pacis,
Et bona cuncta quibus vita carere nequit.
Qui pius es, pia thura piè pia verba precesq̄
Solenniꝝ die fer pia vota D E O.
Et vitæ, in vera vitæ nouit[ur] parenti
Per cunctos vitæ disce placere dies.*

F I N I S.

O Homo si tu amares
Salutem, te emendares,
Creatoremq; laudares.
Prestans est tua figura,
Summi Dei creatura,
Supra omnium natura.
Quo dote te non ditavit?
Teq; abunde ornavit?
Aut qua re, te, ditavit?
Sed Deus benignitatis,
Quantum passim pravitatis,
Mundi Universitatis.
Novit bos suum pastorem,
Et Asinus assessorum,
At non Homo creatorem?
Mundus rursus est redemptus,
Et Diabolo preceptus,
Sed Sanguis Christi contemptus.
Vera doctrina preclara,
Sed confessio amara,
Nam Vita et bona Chara.
Sed heus Mundi Sapientes,
Interim absentantes,
Mundo, non Deo redentes.
Cum abnegas Veritatem?
Et recipis Vanitatem?
Ob parvam Vanitatem?
Dies Ire festinabit,
In famillam conflagrabit,
Te mundumq; iam instabit.

Quantus tremor est futurus?
Quando Iudex est venturus?
Cuncta Stricto discussurus?
Turba mirum sparget Sonum,
Per Sepulchra regionum,
Cogit omnes ante Thronum.
Mors stupet et natura,
Cum resurgit creatura,
Indicanti responsura.
Libri scriptus profertur,
In quo totum continetur,
Unde Mundus indirectus.
Iudex semper stabit,
Quidquid latet apparebit,
Non inultum remanebit.
Quid tunc miser es dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Dum vix Iustus sit servus?
Ach, Ach, ingemiscas, Deus,
Culpa rubet Vultus meus,
Aeternae poenae sum verus.
At tu impijs convictis,
Flammis acerbis addictis,
Ducris cum Maledictis.
O Adoranda Trinitas,
Semper sancta Divinitas,
Et Essentialis Unitas.
Deus tremende Maiestatis,
Qui Salvando salvas gratis,
Salva nos fove bonitatis.
Iusto Iudex Ultionis,
Donum fac remissionis,
Ante diem rationis.

PATER, VERBI Generator,
Omnium rerum creator,
Peccatorum Vitae dator,
Oro Supplex & ardentur,
Gere curam nostri Semper,
Nos exaudi patienter.

Preces meae non sunt dignae,
At tu bonis fac benigna,
Ne perenni cremer igne.

VERBUM Patris Ihesu Christe,
Vere Agnus Dei Iste,
Quem tradidit Euangelistae.

Remitte quae peccata,
Nosraque multa errata,
Tua morte Expiata.

Qui Dauidem absoluisi,
Et latronem exaudiisti,
Mihique quoque Spem didicisti.

Inter Omnes locum presta,
Et ab hedis me sequere,
Statuens in parte dextra.

SPIRITVS Vini-ficator,
Diuinae gratiae dator,
Piorumque consolator.

Serua nos in Veritate,
Verbi tui puritate,
Proximique Charitate.

Ne a malo seducamur
Interim, dum hic Versamur,
Hoc nos ardentur precamur


: Amen :

Aphorismi de Iudicio Extremo

Iudicabit Iudices Index Generalis,
Ibi nihil proderit dignitas Papalis,
Sive sit Episcopus, Sive Cardinalis,
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.

Ibi nihil proderit allegare,
Nec excipere, neque replicare,
Nec ad Apostolicam sedem appellare,
Reus condemnabitur, nec dicetur quare.


Cogitate miseri quia, & quales estis,
Quid in hoc Iudicio dicere potestis,
Quo nec locus erit rodere, nec digessis,
Idem erit Dominus, Iudex, actor, Testis:



his.

ave.

is:



EYXH IN AVSPICIO
NOVI ANNI.

Meritis felix exiuit cursibus Annus,
Cumq; nouus properis motibus annus adest.
In auspicio felix annus duce & auspice Christo,
Stipulis talis cuius lux celebranda nitet.
Sumere quae sanctissima gaudia mente
Concedere & dare vota decet.
Anno cum deponere mores,
Cumq; da nouare fide.
Atq; Deo gratias soluere moris,
Anno quae hiora dedit.
Hic quod habet Ecclesia nidos,
Halcyone in nido sicut habet.
Quod sacra distribuunt in uentae
Pierio suaves ex dedit.
Publica quod tanto non habet ictu
Res erecta Ducum paret.
Aurea quod nobis redierunt te
Et bona cuncta quibus vit.
Qui pius es, pia thura pie pia verba
Solemnig die fer pia vota
Et vita, in vera vit.e nouit
Per cunctos vitae disce placere

F I N I S .